

MENSORIÆ, per Problemata, ex quibus facilis erit cæterorum Structura, & Cognitio.

PROP. XXXI. PROBLEMA I.

*Instrumentum, ad metiendas altitudines comparare.*

Dimensio Altitudinum absque perpendiculo fieri non potest; Id verò suspenditur vel ex medio Instrumenti, propè n. 60. lin. Arithm. & tum admotis in suas Matrices Dioptris eleuatur Instrumentum, ita vt radio visuali per lineam Arithmeticã incedente, exploretur summitas rei aspectabilis: Perpendicularum inter lineam Tangentium dabit, & Anguli quantitatem, & magnitudinem Tangentis dato Angulo competentem. Idem haberes ex Vmbra Recta & Versa, sed in partibus minoribus.

Est & alter modus, sed aliquanto operosior, si linea fiducia, seu perpendicularum coincidet in Crus Instrumenti, seu lineam Arithmeticam, atque eo Crure Immoto, & ad libellam perstante, crus alterum, ad dati aspectabilis altitudinem obseruandam, aperiatur. Apertura verò Instrumenti examinetur per propos. XXI. antec.